

tores eo loco indicatos, vide etiam Gagliardum instit. canonic. l. 3 tit. 12 §. 19 et seq.; ubi harum exemptionum multa habes antiqua monumenta, quæ à Natali Alexandro, Ughellio, Mabillonio, Muratorio, aliisque viris doctis collecta sunt. Novissime de Regularium exemptione graviter, solideque disseruit Emmanuel Iturriaga, auctor epistolæ, editæ Assisii an. 1785, «Su l'esenzione de' Regolari dalla giurisdizione de' Vescovi, e su le cause matrimoniali.»

(N. S. Hispani Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Monachorum exemplis exstimulati, simul ac regularem, quæ S. Augustini dicta est, disciplinam receperunt, sæculo nimirum undecimo, ad exemptionum adsequenda privilegia properarunt. At longe diversa est Monachorum, ac Canonicorum exemptio: illa quippe plena est, et nihil pæne relictum, in quo Episcoporum jurisdictioni Monachi subsint, etiam post Tridentinum; hæc vero criminales, ut plurimum, tantummodo causas respicit; ita ut in hujusmodi causis Episcopus in Canonicos procedere nequeat, nisi adjunctis sibi duobus è Capitulo, ab ipso in unoquoque anno adsignandis: *Trid. Sess. 25 de Ref. cap. 6.* Hæc primigeniæ Conciliorum doctrinæ conformis est. Episcopus enim nonnisi collecto Presbyterorum cœtû, Clericorum delicta examinare, et sententiam in eos ferre solebat. Ita decrevit Syn. Hispal. II can. 6 his verbis: «Juxta priscorum Patrum Synodalem sententiam, nullus nostrum, sine Concilii examine, deiciendum quemlibet Presbyterum, vel Diaconum audeat.» Porro antiquorum Patrum sententiæ exstant in Syn. Carthag. I can. 11, et Carthag. II. can. 40. Consonat Syn. Tolet. XI can. 7, Brac. III can. 7, et Tolet. XIII can. 2. Immo expedire admodum ita fieri, censuit eadem Syn. Hispal. II ibid. «Episcopus enim, ait, Sacerdotibus, et Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.»)

(3) Late, ac diligenter de hoc privilegio, quo Academiae fruuntur, disputat Scipio Gentilis de jurisdiet. l. 5 c. 17 opp. t. 3 p. 276 ed. Neapol. 1764.

48. Etiam continentia causæ facit, ut judex, qui competens non esset, competens evadat; nimirum si quæstio princeps in cursu judicii incidentem quæstionem habeat, cujus illi cognitio directo commissæ non erat. Tunc enim idem judex utramque controversiam noscit, ne res iter se nexæ, et jugatæ dividantur (1). Hinc Decretales foro ecclesiastico addicunt causas de dote, deque alimentis præstandis, quæ matrimonialibus incidunt (2).

(1) L. 10 cod. de Judic.

(2) Cap. 3 de donation. int. vir. et uxor.

49. Denique litigantium consensu jurisdictionis profertur, sive, ut dici solet, prorogatur, et tunc alius judex, quam cujus notio est, litigantium voluntate proprius, et competens evadit (1). Licet enim jure Romano litigantibus in alienum judicem consentire, dummodo ipse jurisdictionem habeat (2); nam quæ in privatis viris nulla est, jurisdictionis prorogari non potest (3). Clerici cum Episcopi consensu in alienum judicem ecclesiasticum recte

consentiunt (4), in laicum vero consentire nulla ratione possunt (5).

(1) L. 1 cod. de jurisdiet. Verum si prius quam adiretur alienus judex, mutata voluntas fuerit, procul dubio nemo compellitur huic conventioni stare, inquit Aphricanus l. 18 ff. de jurisd.

(2) L. 1 et 2 ff. de judic.

(3) L. 3 cod. de jurisdiet.

(4) Cap. 18 de for. competen.

(5) Cap. 12 eod. Hanc Innocentii III. constitutionem minus vere, minusque recte, uti supra animadverti § 9 not. 3, reprehendit Cujacius, quem præter Cironium, aliosque ibi laudatos, solide etiam, graviterque refellit Carolus Gagliardus instit. canonic. l. 3 tit. 10 § 5 et seq.

(N. S. Idem quoque de temporalibus laicorum causis intelligi oportet; quamvis enim ad ecclesiastici Judicis manum deductæ sint, nihil exinde ejus jurisdictioni accedit; imo eo ipso actor sua cadet actione, et processus, tamquam in irritum factus, revocabitur: leg. 7 tit. 4 lib. 4 *Novis. Compilat.*)

TITULUS V.

DE LIBELLI OBLATIONE, DEQUE IN JUS VOCANDO.

1. LIBELLUS QUID?—2. ACCUSATORIUS, VEL CONVENTIONALIS.—3. QUOMODO JUS ACTORIS LIBELLO EXPRIMENDUM?—4. QUID LIBELLO COMPREHENDENDUM?—5. QUIBUS MODIS PLUS PETATUR?—6. PÆNÆ ADVERSUS PLUS PETENTES CONSTITUTÆ.—7. EMENDATIO, ET MUTATIO LIBELLI.—8. QUID IN JUS VOCATIO, ET QUENAMMODUM FACIENDA?—9. CITATIO.—10. JUDICIUM A CITATIONE INCHOANDUM.—11. EA VEL REALIS, VEL VERBALIS EST.—12. CITATIO VERBALIS, VEL SIMPLEX, VEL PEREMPTORIA.—13. QUOMODO CITATIO REO SIGNIFICANDA?—14. CITATIO IN ALIENO TERRITORIO, EJUSQUE IN ACTIS RELATIO.—15 AD 19. QUÆ IN CITATIONE OBSERVANDA?—20. EFFECTUS CITATIONIS.

1.

POSTEAQUAM consideravit actor, quis proprius et competens judex sit, in judicio (a) *postulationem deponit* (1). hoc est, apud acta deponit libellum, quo actio continetur (2). Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur (3); brevis scriptura, qua hæc actio, et actoris petitio clare, et distincte proponitur, *libellus* appellatur (4). Reo post libelli oblationem, dantur viginti dierum induciæ, ut deliberet, cedat ne, an resistat, pareat ne judici, an eum recuset (5).

(a) * Huc referri potest Barcinon. Selvag. Edit. adnotatio, quæ sic se habet: «In inferioribus curiis ecclesiasticis, non secus ac civilibus, cum *ordinaria* judicia agitantur, ex Reg. ord. 10 Apr. an. 1856, *appellationes in duplici effectu* admitti debent; servando in ceteris juris civilis præscriptum,

omissa quacumque contraria consuetudine. Similiter, ex cit. Reg. ord., ecclesiastica tribunalia observare tenentur alteram ord. 15 Februar. an. 1835, cujus vi ad legum præscriptum atque civilium curiarum morem, appellatione vel quolibet alio recursu interposito, originalem processum ad superiorem remittere coguntur. Ex priorè adducta ordin. nascitur inter interpretes quæstio; utrum ecclesiastica tribunalia, saltem inferiora, civilium instar suos debeant processus ordinare? Nos quidem, ultro ab illius decissione superseedentes, tantum meminimus, in praxi, revera civilis processus instructionis leges in ecclesiasticis curiis observari. Vid. Reg. ordin. 31 Jan. an. 1837, restaurantem Comitior. decret. 20 Mart. an. 1821. Vid. etiam alterum Comitior. decret. 18 Maji an. 1821, denuo stabilitum Reg. decret. 27 Jan. an. 1837, ejus art. 4 jubetur, ut judicium sic dictum *conciliatorium* celebretur in causis divortii, non vero in judiciis verbalibus, neque generatim in causis ecclesiasticis, in quibus partium concordæ locus non sit. Ade demum Reg. ord. 31 Mart. an. 1839, ubi parochis ceterisque clericis facultas decernitur, judiciis verbalibus atque conciliatoriis interessendi, ut *hominum bonorum*, uti vocant, officio fungantur. (tom. 3 pag. 85 et seq.)

Addere oportet, Reg. decreto 30 Sept. 1853, novam sancitam esse ordinandorum civilium processuum methodum, vulgo «Instrucción del procedimiento civil con respecto á la Real jurisdiccion ordinaria;» ejus revisionem ac reformationem præcipiunt Regg. ordinat. 14 Jan. et 10 Maji labentis an. 1854.

Nec omittenda alia Reg. ordinat. 14 Sept. 1853, ad Asturic. dioceseos Vicar. gen. directa, quæ ita concepta est: «Al dictar el Gobierno de S. M. el Real decreto de 8 de agosto (an. 1851), relativo al uso del *papel sellado*, no tuvo por objeto comprender en él á los tribunales eclesiasticos; y por lo tanto deben estos continuar, como hasta aqui, rigiéndose por las resoluciones anteriores espedidas en la materia.»

(1) Ita loquitur Honorius l. 3 cod. de præscript. 50 ann., et Justinianus l. ult. cod. eod.

(2) Novell. 53 c. 3.

(N. S. Antiquitus non *libellus* modo, verum et quæcumque scriptura in Judiciis Ecclesiasticis ignota: Justinianus *Novella 85 in præf.*; quam ex interpretatione Juliani refert Gratianus Can. 45 Caus. 11 Q. 1: «Ubi autem Episcopus causam dirimere vult, sine scriptura omnia procedant, et definitiva sententia sive scriptis ab eo proferatur.» Atque adeo etiam jure novo, ex generali illa Regula excipiendæ causæ omnes leviores, et breviores, quas judicio summario absolvendas præscribit Clement. II *de Verb. signif.*; et Syn. Hispal. an. 1512 cap. 57; leg. 41 tit. 2 *Partit.* III, et leg. 8 tit. 3 lib. 11 *Novis. Compilat.*)

V. leg. 40 tit. 2 *Partitæ III*; leg. 4 tit. 3 lib. 11 *Novis. Compilat.*, ubi *libelli (demanda)* conditiones exponuntur.

(3) L. 50 ff. de act., et princip. Instit. de Action.

(4) Multa libellorum genera habes apud Brissonium de verb. signific. De S. Cyrillo Hierosolymitano Episcopo, qui à Seleucensi concilio depositus fuerat, narrat Socrates histor. l. 2 c. 40 p. 154 ed. Valesii Cantabrig. 1720, cum libello provocasse; præterea Sylvanum Troadis Episcopum supplicantium libellos accepisse, eisque judicem dedisse, scribit idem Socrates l. 7 c. 37 p. 588. Unde intelligimus, ea jam ætate in ecclesiasticis judiciis adhibitas fuisse solemnitates, quæ in civilibus adhibebantur.

(5) Novell. 53 c. 3, quam refert Gratianus can. 4 c. 3 q. 3 §. offeratur. Consule Cujacium in eamd. novel. 53 opp. t. 2 col. 961 et 962 ed. cit.

2. Libellus vel conventionalis, vel accusatorius est. Conventionali utimur in civilibus negotiis, accusatorio in causis criminalibus, cum reum criminis apud judicem accusamus. Clarus, et obscuritatis expers libellus uterque esse debet, quodque petitur perspicue significandum est (1). Non enim subobscuro libello respondere reus cogitur, et judex recte potest rejicere libellum, in quo non omnia dilucide, et explicate declarentur.

(1) Cap. 2 de libell. oblat.

3. Antiquo jure Romanorum certæ, ac solemnnes erant constitutæ formulæ, cum quibus actio institui debebat, et eas actor à Præto impetrabat. Sed postea, sublatis ambagibus, et subtilitatibus formularum (1), placuit libello exprimere genus, speciem et nomen actionis, quæ in judicium deduceretur (2). Verum Decretales de exprimendo nomine actionis, qua quis usurus est, non admodum laborant; modo res ipsa ita clare, apteque proponatur, ut ex ea jus petentis manifestum sit (3).

(1) L. 1 et 2 cod. de Formul. et impetr. act. sublat.

(2) L. 3 cod. de Eden., l. ult. cod. de interdict. Consule Cujacium in cap. 6 de judic. opp. t. 6 col. 763 et 764 ed. Mutin. seu Ven. 1778.

(3) Cap. 6 de judic. Confer Donellum de jur. civil. l. 23 c. 4 §. ult. col. 64 ibique Hilligerum in not. opp. t. 6 cit. ed. Lucæ.

4. Accusatorius libellus complecti debet nomen accusatoris, rei accusati, et judicis coram quo accusatio instituitur, præterea tempus, locumque criminis. Conventionalis autem contineat oportet nomen actoris, rei, atque judicis, rem petitam, et petendi causam. Cum agitur actione in rem, satis est exprimere causam actionis proximam, puta dominium; cum exercetur actio in personam, exprimi debet tum proxima, hoc est obligatio, tum remota, hoc est titulus, ex quo obligatio nata est (1).

(1) Cap. ult. de libell. oblation. Consule Donellum l. c. §. 3 ibique Hilligerum in not. col. 57 et seq.

5. In offerendo libello præcipue curandum est, ne plus petatur, quod fit quatuor modis, re, tempore, loco et causa. Re plus petitur, si ex. gr. petantur triginta, cum viginti deberentur, aut si is, cujus ex parte res est, vel eam totam, vel majorem partem suam esse contendat; tempore, si ante statutum diem, vel ante conditionem actio instituat; loco, si quis, quod sibi

certo loco dari stipulatus est, alio petat, nulla illius loci facta mentione; causa, si quis certam rem petat, cum debitor posset dare, quod mallet suo arbitrato (1). Jure veteri plus petens actor causa cadebat (2): sed jure novo civili aliæ adversus plus petentium importunitatem pœnæ sunt constitutæ (3).

(1) §. 53. Inst. de action.

(2) Paulus recept. senten. l. 1 tit. 10 §. 1 apud Schultingium jurispru- vet. Ante-Justinian. p. 241. ed. Lipsiæ 1757 §. 53 inst. cit. Hinc illud Plauti in mostellar. act. 3 scen. 1 v. 125 p. 528 t. 1 ed. Lugdun. Batav. 1669; *velim quidem hercle ut uno nummo plus petas*. Num autem id lege 12 tabularum, an potius edicto prætoris factum fuerit, non satis compertum est. Consule Rævardum varior. l. 5 c. 14 p. 69 t. 2 ed. Neapol. 1779.

(3) Zeno Imperator adversus eum, qui ante tempus petiit, temporis inducias duplicari, atque his finitis, reum cogi non posse voluit ad suscipiendam litem, nisi prioris litis impensæ solutæ fuissent. Constitutio hæc desideratur, sed ejus epitomen ex Basilicis eduxit Cujacius observat. l. 12 c. 21 opp. t. 3 col. 519 ed. cit. Contra eos, qui re, aut loco, aut causa plus peterent, tripli pœnam constituit Justinianus cit. §. 53 inst. de action.

6. Jure canonico, qui re, aut causa plus petunt, in expensas condemnantur, qui loco in id, quod debitoris interest, dentque qui tempore plus petierint, duplo majores inducias reo tribuere debent, neque ipse cogitur judicium suscipere, nisi antea prioris litis expensæ solvantur (1). Nunc fere omnes eo jure utuntur, ut reus ante tempus conventus, tantum à judicii observatione liberetur, et actor quidem in litis expensas condemnatur, sed ei tamen integrum sit reum in judicium vocare, cum primum obligationis diem venisse constat. In ceteris hujusmodi petitionibus reo licet offerre plus petenti, quod se debere censet; id vero si non accipiat actor, neque aliud revera judex deberi intelligit, actor, uti timere litigans, in expensas condemnatur (2).

(1) Cap. unic. de plur. petition.

(2) Confer Vinnium in Instit l. 4 tit. 6 §. 5, et Voetum in Pandect. l. 5 tit. 1 §. 25.

* V. legg. 42, 43, 44, 45, 48, tit. 2. Partitæ III.*

7. Emendatur interdum libellus, interdum etiam mutatur; cum videlicet pridem instituta actione retenta, aliquid adjicitur, aut detrahatur, vel cum prima actione repudiata, nova instituitur. Ita qui pro decem, quæ sibi ex causa mutui deberi dixit, ex eadem illa causa petit viginti, libellum emendat; mutat autem qui fundum, quem ex testamento petierat, deinceps ex stipulatu petit. Utrumque fieri potest etiam post litem contesta-

tam (1); sed qui contestata lite actionem mutat, prioris judicii expensas solvere debet, et novum dare libellum, novasque ad deliberandum inducias reo. At vero libelli solemnitas in causis sumariis non est necessaria.

(1) Consule Donellum de jur. civil. l. 23 cap. 5 et ad tit. instit. de action. §. 27 opp. t. 6 col. 65 et seq. et col. 859 et seq. ed. Lucæ cit., et Voetum in Pandect. l. 2 tit. 15 §. 9 et seq.

* V. leg. 2 tit. 16 lib. 11 Novis. Compilat.*

8. Oblato ab actore libello, qui est quasi primus aditus judicii, reus in jus vocatur. Vocare autem in jus nihil est aliud, quam vocare aliquem ad eum, qui jus dicturus est ea de re, de qua quæritur (1). Nullus olim ritus vocationis fuit; sed licebat privato privatum, cum quo jure agere vellet, per se, et sua auctoritate in jus vocare, et quidem ita, ut vocatus, nisi vadium promitteret, hoc est, nisi satisdaret judicio sisti, etiam invitus in jus rapi posset (1). Sed postea mos hujusmodi sublatus est, sive quod absurdum videretur, rem tantam privati arbitrio permittere, sive quod melius, æquius videretur hoc negocium transigere auctoritate ejus, qui juri dicendo præest (3).

(1) Paulus in l. 1 ff. in jus vocan. ita rem explicat, ut sit in jus vocare, juris experiendi causa vocare. Recte prorsus. Non enim quis vocatur in jus, nisi ut de suo jure experiatur apud eum, apud quem id facere jus est; id est, apud eum jure judicioque agat ea de re, quam id judicium vocat. Id enim significant Jurisconsulti, cum dicunt de jure suo, aut de re aliqua experi, ut l. 1 ff. Ex quib. caus. major., l. 1 ff. quand. de pec. act. annal. sit, vel jus experi, ut in l. 1 ff. de in jus vocan., vel absolute experi, ut in l. 1 ff. de divers., et temp. præscript., et in l. 1 ff. Quæ in fraud. credit., hoc est rem tentare, et sui juris periculum facere.—Leg. 1 tit. 9 Part. III.*

(2) Consule Duarenum l. 4 disp. c. 1. Adversus eos, qui in jus venire recusarent, vim adhiberi, et invitos injecta manu, obtortoque collo in jus rapi consuevisse certum est, idque late ostendunt Goveanus l. Var. lect. ult., Rævardus ad LL. 12 tabular. c. 5 et ad l. 103 de divers. regul. jur. opp. t. 1 p. 7 et 167 ed. Neap. 1779, Cujacius observat. l. 40 c. 10 opp. t. 3 col. 240 et seq. ed. Ven. 1758, Heineccius Antiquit. l. 4 tit. 6 §. 14 et seq. opp. t. 3 p. 429 et seq. ed. Neap. 1769, alique complures.

(3) Ulpiani, et Pauli ætate jam illum obtinuisse morem, ut nemo sine magistratus auctoritate in jus vocaretur, ostendit Donellus de Jur. civil. l. 23 c. 2 §. 6 opp. t. 6 col. 24 et seq. ed. Lucæ. Vide etiam Hilligerum in notis ad eundem Donellum l. c.

9. Nunc ipsa libelli oblatio in jus vocatio dici potest; sed quoniam libellus aptus non est ad inducendam litis contestationem, ac tantum continet actoris petitionem, non item probatio-

nes, quibus eadem petitio nititur; hæ sunt in actis post oblatum libellum exhibendæ probationes, quibus exhibitis reus in iudicium vocatur, ut respondere possit, atque ita litis contestatio inducatur. Id vero fit per *citationem*, quæ judicialis est actus, per quem reus, actore rogante, iudicis auctoritate litis peragendæ causa in iudicium vocatur. Proprie hæc citatio in jus vocatio est, et utraque sæpe confunditur; quamquam citatio latius pateat, quippe quæ in qualibet iudicii parte adhibetur, quoniam singuli iudicarii actus litigantibus nunciantur; verum in jus vocatio tantum pertinet ad primam citationem, unde iudicium exorditur (1). Sed veteri jure Romano in jus vocatio, et citatio differebant; quoniam illa privata auctoritate, hæc vero mandato iudicis per præconem, et interdum etiam per edictum fiebat; nec tantum reus, verum etiam actor, patroni, et testes in iudicium citabantur.

(1) Confer Vinnium, Commentar. ad Inst. l. 4 tit. 16 §. 5 n. 5.

40. Omnia iudicia à citatione incohanda sunt, neque, ea omissa, ulla iudicii vis, et auctoritas est (1). Vetat enim non civilis modo, sed etiam naturalis juris ratio, damnari aliquem qui auditus, ac defensus non sit. Hinc defectum citationis *insanabilem* pragmatice appellant, quoniam sanari non potest iudicium, quod sine citatione gestum est (2).

(1) Can. 2 et 4 c. 3 q. 9, Clem. 2 de Senten. et re iudic.

(2) Confer Hilligerum ad Donellum de jur. civil. l. 23 c. 2 §. 2 not. 2 t. 6 p. 41 ed. cit.

41. Est autem citatio vel realis, quæ fit injectis in reum publica auctoritate manibus, vel verbalis, quæ procedit ab imperio iudicis, cujus jussu, verbis, vel literis quis in iudicium vocatur. In civilibus iudiciis verbali citatione plerumque utimur; nam in iis citatio realis ante sententiam non emittitur, nisi reus sit fugitivus aut de fuga suspectus, et nisi primum res cognita, et explorata sit.

* Apud nos citationi *reali* in civilibus negotiis locus non est; nemo enim potest incarcerari, nisi factum, quod pœnam corporalem mereatur, admitterit.—V. Reg. Prov. cit. art. 5 et 19.

42 Verbalis citatio alia simplex, alia peremptoria est. Simplex continet merum præceptum, ut reus in iudicium veniat;

sed ipse contumax non efficitur, nisi eadem citatio post tres terminos, certis dierum intervallis præfinitos, tertio repetatur (1). Quæ intervalla jure veteri decem dies singula continebant (2), jure Novellarum ampliata sunt ad dies triginta (3); sed jure Decretalium arbitrio iudicis, pro temporum, ac locorum ratione, statuuntur (4). Pereinptoria citatio instar est omnium simul simplicium, atque ita rem perimit, ut si reus præstituta die in iudicium non venerit, contumax habeatur. Nam peremptorium præcidit, et abscindit omnes adversarii tergiversationes, eoque comminatur iudex, sese causam cogniturum, etiam absente illo, qui citatus sese iudici sistere recusat (5). Edictum peremptorium jure civili emittitur post tres simplices citationes, interdum post duas, interdum etiam statim, quod vocatur *unum pro omnibus*; pendetque ab arbitrio iudicis, pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, ordinem edictorum (6), et compendium moderari (7).

(1) Trium tantum edictorum mentio est in L. 55 ff. de Re iudic., et apud Paulum Recept. sentent. l. 5 tit. 5 n. 7, ac trium item denuntiationum, aut literarum in L. 8 col. Quomod. et quand. iudex senten. Quare mirum est, Ulpianum in L. 70 ff. de Judic. tradere, post tertium demum edictum peremptorium emitti. Gerardus Noodtius Observation. l. 4 c. 8, ita illum Ulpiani locum legendum putat: *quibus propositis et tertium tunc peremptorium impetret*. Ego in ejus sententiam facile descendo, neque de ea dimoveor illis ejusdem Ulpiani verbis, quibus dimotus est Antonius Schultingius in Paulum Recept. sentent. l. 5 tit. 5 not. 52 Jurisp. vet. ante Justinian. p. 450 ed. Lipsiæ 1757. Sunt autem verba Ulpiani in L. 72 ff. de Judic. omnino hæc: *Nonnumquam hoc edictum post tot numero edicta, quæ præcesserint, datur, nonnumquam post unum vel alterum, nonnumquam statim, quod appellatur unum pro omnibus*. Hic quidem Ulpianus etiam post tria edicta denique peremptorium dari statuit, sed loquitur non de ordinaria, et usitata edictorum methodo, quæ tribus tantum edictis constat, et quam respicit L. 70, verum agit de arbitrio iudicis, quod extra ordinem est. Nam, ut ipse inquit Ulpianus, totum hoc negotium *æstimare oportet eum, qui jus dixit, et pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis ita ordinem edictorum, et compendium moderari*. Hinc iudici pro suo arbitrio licet tria dare edicta, antequam peremptorium emittat. Itaque Ulpianus in L. 70 ordinariam, et usitam constituit edictorum methodum; in L. 72 exceptionem ponit, et iudex possit hanc methodum omittere, ac non tertio, sed quarto loco peremptorium dare.

(2) L. 69 ff. de Judic.

(3) Novell. 112 c. 5.

(4) Cap. 7 de Dol. et contumac. Clem. 4 de Judic. Quæ de tribus edictis, aut de uno pro omnibus dato, à jure civili sancita sunt, eadem videtur constituisse Innocentius III. in cap. 24 de offic. et potest. delegat. Sed et ante Innocentium III, Parisiense Concilium apud Gratianum ean. 6 c. 24 qu. 3. Romanam legem de tribus edictis, aut uno pro tribus approbavit.

(5) L. 70 et 71 ff. Judic., Cap. 6 de Dol. et contumac.

(6) Edicta hæc interdum etiam contestationes, ab Aniano autem in Paul. Recept. senten. l. 5 tit. 5 §. 7 apud Schultingium Jurispr. vet. Ante-justinian. p. 450 ed Lipsiæ 1757, et in can. 6 c. 24 qu. 3, Auctoritates appellantur. Proprie à Latinis denunciationes dicuntur, sed corruptæ Latinitatis scriptores Auctoritates vocant. Multa ejus rei exempla sunt apud Du-Gangium Glossar. med. et infim. Latinit.

(7) L. 72 ff. de Judic.

13. Citatio reo significanda, et demonstranda est, idque apparitoris, sive publici nuncii opera fieri solet; significatur autem vel denunciatione, vel literis, vel edictis (1). Denunciationes per officia, et exequutores fiunt, literæ ad reum mittuntur, edicta publico loco affiguntur, unde recte legi possint (2). Nuncius reo denunciare decretum citationis debet, vel in faciem, vel ad domum (3), et præsentem quidem in faciem, absentem ad domum, si rei copia haberi possit, in faciem, si non possit, ad domum in qua reus habitat (4), et si plures domos habuerit, ubi frequentius commoratur, aut commorari debet. Quod si reus absit, neque resciri possit, quo in loco versetur, edicto publico loco affixo evocandus est, ut ita reus absens per propinquos, aut amicos, quibus edictum patet, admoneatur (5).

(1) Tria hæc discriminat Paulus Recept. senten. l. 5 tit. 5 §. 7 apud Schultingium l. c. p. 450.

(2) Consule Cujacium in illum Pauli locum not. 52.

(3) L. 13 §. 1 ff. de Excusat. tut. Vide etiam Cujacium Observ. l. 7 c. 15 opp. t. 3 col. 161 et 162 ed. Ven. seu Mutin. 1758, ubi multa habes de denunciatione ad domum.

(4) Argum. L. 1 §. 1 ff. de Agnoscent. et alien. liber. Idem etiam non obscure tradit Alexander III. in cap. 3 de Dol. et contumac. — V leg. 1 tit. 7 Part. III cit.; leg. 12 tit. 28 lib. 11 Nov. Compilat.; et leg. 4 Jun. 1857 art. 3.

(5) Extravag. unic. de Dol. et contumac. int. commn. Clem. 1 de Judic.

14. Et quoniam in alieno territorio jus dicenti impune non paretur (1), adversus eum, qui in alieno territorio versatur, citatio expediri non potest, nisi ab ejus loci magistratu venia petita, atque impetrata sit. Facta vero citatione, nuncius id in acta referre debet, et vero expressis omnibus, quæ scire opus est, nimirum die, loco, modo factæ citationis, ceteris adjunctis; atque ejus relationi creditur propter fidem publicam, quamunitus est.

(1) L. ult. ff. de Jurisdic. omn. judic. — Leg. 22 tit. 7 Part. III; leg. 5 tit. 4 lib. 11 Novis. Compilat.

15. Ut citatio rite, et recte fiat, multa sunt observanda. Principio scilicet, exprimendum est nomen actoris, quo instante citatio emittitur, quia tantum in causis publicis iudex ex officio procedit (1); itemque nomen rei, ne quis in ancipiti persona decipiatur. Deinde, continere debet nomen iudicis, cujus mandato citatio emittitur, tum quod jure novo sine mandato iudicis nemo in jus vocari potest, tum quod citatus sciret debet, nam proprius, et competens iudex sit, ad quem vocatur. Et quoniam delegatus iudex alienam jurisdictionem exercet, citationis decreto inserendum est exemplum literarum, quibus ei causa commissa est (2): nam secus, ejus jurisdictio reo comperta, et explorata esse non potest. Si manifestum sit, iudicem non esse competentem, reus ad eum ire non cogitur; si id manifesto non constet, reus omnino cogitur sistere se iudici, cujus est æstimare, num sua sit jurisdictio (3).

(1) Cap. 9 de Accusat.

(2) Cap. 2 de Dilat. Quod forte primum jure canonico expresse constitutum videtur, sed tamen alienum non est à juri Romano sententia: L. unic. cod. de Mandat. Princ. l. 5 cod. de Jur. fisc. l. 10. — (Syn. Dertus. an. 1429 cap. 15 N. S.)

(3) L. 2 ff. Si quis in jus vocat. non ierit. l. 5 ff. de Judic.

16. Exprimenda etiam est causa, propter quam reus vocatur, ut is negotium meditetur suum, et paratus ad iudicium veniat, posteaquam, re cognita, sese contra actorem tueri constituit. Veteri jure Romano actor postulatum impetralamque à Prætore actionem edebat reo, cum in iudicium venerat, atque ita ipse vocationis causam noscebat (1). Sed antiquo vocationis ritu sublato, sancitum est à Justiniano (2), ut in ipsa vocatione libellus conventionalis reo tradatur; atque ita in unum iudiciale actum in jus vocatio, et actionis editio coaluerunt. Decretales de exprimenda vocationis causa, reoque simul offerendo libello non admodum laborant; sed jam fere ubique gentium moribus, usuque fori receptum est, ut decreto ipso citationis causa significetur, vel simul reo libellus offeratur.

(1) Pluribus sane modis id fieri potuisse scribit Ulpianus in L. 1 ff. de Eden. Confer Heineccium Antiquit. l. 4 tit. 6 §. 19 opp. t. 3 p. 452 ed. Neap. 1766, Rævardum lib. Protribunal. c. 4 opp. t. 2 p. 200 ed. Neap. cit. Cujacium in cod. l. 2 tit. 1 opp. t. 10 col. 828 ed. Mutin. 1782, Donellum in cod. l. 2 tit. 1 opp. t. 7 col. 21 et seq. ed. Lucae cit.; ceteros interpretes ad titulum de edendo.

(2) Novell. 53 c. 4.

17. Præterea designandus est iudicii locus, ut reus noscat, quo ipse venire, et se iudici sistere præsentem debeat, et simul intelligat, num locus ille tutus sit. Præsertim vero si delegatus sit iudex, certum in citatoriis literis indicare locum omnino necesse est; quoniam illi nullus est huiusmodi locus, ad quem reus certo venire possit. Si ordinarius est iudex, qui certo loco tribunal habet, nihil attinet hunc locum exprimere, nisi ipse velit alio loco jus reddere, quam quo reddere consuevit (1). Sed et tutus debet esse locus, in quo iudicium est agendum, et per quem necessario transitus faciendus est reo (2); adeo ut si manifestum sit, locum tutum non esse, nulla sit citatio ipso iure (3), si non ita sit manifestum, valeat quidem citatio, sed reus demonstrare debeat, eum sibi locum tutum non esse (4).

- (1) L. 59 ff. de Judic.
- (2) Clem. 2 de Senten. et re iudic. cap. 4. Ut lit. non contest. in quod vide Gonzalezium.
- (3) Cit. Clem. 2.
- (4) Cap. 7 §. 5 de Senten. excom. in 6. At enim reus per procuratorem respondere potest, cura tutus non est iudicii locus. Est hoc sane verum; sed reo iusta excusatio ob hanc eandem causam est, quod per se ipsum respondere non potest.

18. Certus quoque dies, quo reus in jus venire debet, in citatione notandus est, ut ipse intelligat, num die quo vocatus fuit exercere iudicium liceat. Qui dies arbitrio boni viri à iudice constituitur, habita ratione temporum, locorum, personarum. Nam iniquum esset reum vocare ad id tempus, quo ipse sui copiam facere vel omnino non potest, vel saltem cum magno incommodo potest.

(N. S. Designanda est dies, qua reum in iudicio se sistere oporteat: in quo et distantia loci, quem reus incolit, attendendum est, et diei ipsius qualitati. Festis enim diebus iudicia exerceri, omnino vetitum iure aequè civili, atque canonico: leg. 2 Cod. de Feriis, cap. fin. de Feriis.—Id quod jamdiu statuerat Synod. Tarracon. an. 516 can. 4; et lex 54 tit. 2 Partit. III. Personæ, officii, et temporis ratio habenda est. Citari enim nequeunt Iudices ab inferioris, vel æqualis Jurisdictionis Iudicibus, Clerici dum Rem Divinam faciunt, infirmi, consanguinei defuncti insepulto corpore, minores, mentecapti, aliique contenti in leg. 2 tit. 7 Partit. III. Adhuc laici citari non possunt à Iudice Ecclesiastico ad Sedem, aut caput Diœcesis, exceptis causis Criminalibus, Beneficialibus, Decimalibus, et Matrimonialibus: leg. 5 tit. 1 lib. 2 Novis. Compil.)

19. Plura efficit citatio, quæ rite, et recte facta sit. Nimirum facit, ut reus ad eum iudicem, ad quem primum vocatus

est, venire debeat, quamquam reus deinceps alteri iudici subsesse cœperit (1); rumpit præscriptionem (2); perpetuat iudicis delegati jurisdictionem, adeo ut ea delegantis obitu non extinguatur (3); litis pendentiam inducit, si tamen in citatione illa sint expressa, ex quibus reus noscat omnia, quorum causa in jus vocatur (4). Pendet autem lis post citationem quoad hoc, ut nihil debeat innovari (5); nam alias non nisi post contestationem lis pendet (6). Ex quo efficitur, ut post citationem, unde reus causæ certior fit, res litigiosa evadat (7), ideoque alienari non possit (8).

- (1) L. 7 de Judic. cap. 19 de For. competen.
- (2) L. ult. cod. de Annal. except. L. 7 cod. de Præscript. 30 annor.
- (3) Cap. 20 de Offic. et potest. delegat.
- (4) Clem. 2. Ut lit. penden. Id vero constitutum est ex sententia juris civilis in Auth. litigiosa cod. de litigios.
- (5) Cit. Clem. 2.
- (6) Cap. 59 de Verb. signific., ibique Gonzalez, et in c. unie. de Lit. contest.
- (7) Clem. et Auth. mox laudata.
- (8) L. 48 ff. de Rei vindic. can. ult. c. 11 qu. 4, cap. 3 Ut lit. penden.

TITULUS VI.

DE DOLO ET CONTUMACIA.

1. QUIS CONTUMAX.—2. PENA PROPTER CONTUMACIAM ACTORIS.—3 ET 4. MISSIO IN POSSESSIONEM PROPTER REI CONTUMACIAM.—5. ALIÆ PENÆ IN REUM CONTUMACEM.—6. SEQUESTRATIO REI LITIGIOSÆ.

NE dolo et contumacia litigantium inutile evadat iudicium, pœnæ indictæ sunt adversus eum, qui in jus vocatus non venerit. Dolum malum vocamus omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam (1). Hoc loco dolus est fraudulentum consilium litigantis, qui contumax est (2), et iudicium detrectat. Contumax autem dicitur, qui iudicis mandato non obtemperat, hoc est, qui tribus edictis, vel uno peremptorio evocatus, sui copiam non fecit, cum nullo justo impedimento detineretur (3); vel cum venit, iudici parere recusavit (4); vel impedit, quominus ad reum citatio perveniat (5); vel sine iudicis venia, susceptum iudicium deseruit (6).